

tamen ab Aristotele plerique, Bellonius, Gellius, Jovius, Aldrovandus, Columna praecipui. Castelletus nudum eius sceleton misit et paucis ita descripsit. Neapoli frequens est, quod miror, etc.

LAMIAM, quae παρά τῷ λείμῳ a gula quibusdam dicitur. Nicander ^{c Athen. l. 7.} *Carchariam* et *Scyllam* vocari scribit, Rondeletius eandem cum Canine *Carcharia* facit. Plinius inter Cartilagineos planos enumerat. De-

scriptionem ejus nemo veterum supeditat. Maximam evadere, cute integri scabra os in anteriore capitis parte habere, *dentibus* plus minus ducentis in utraque maxilla per quater-nos versus dispositis, ad radicem latis, in acutum et pyramidem desinentibus, ad latera crenatis, refertum Bellonius prodit. Vere an falso, non dixerim. Generis Galeorum certe, qui longi pisces sunt, eandem pronunciat.

PUNCTVM XII.

De Lumpo Anglorum et Pisce gibboso.

TAB. XIII. **P**iscem qui Anglis Lumpus, quasi massa informis dicitur, sic describitur a Turnero. Piscis edulis est Lumpus noster, etc. Dorsum rubicundum, ventrem album habere, et in magnis deliciis reputari Masfarias addidit. Nos eum molli et in ore diffuente carne, esse experti sumus, cum Andreapoli in Scotia studiis operam daremus.

Piscem GIBBOSVM Graeci ^{TAB. XIII. 2.} *δονον* vocant, reperitur in mari Baltheo corii portiuncula, quam Fabricius Gesnero misit. Crassiuscula et tenax est, punctis multis seu tuberculis exasperatur. Eminent etiam Spinae quaedam ceu rubi, sed mucrone recto, pyramidis forma, aliae magnae aliae parvae ex fusco albicantes. De sua pictura sic Gesnerus, etc.



TITVLVS II.

DE PISCIBVS MARINIS SAXATILIBVS.

CAPVT I.

De Saxatilibus Squammosis.

ARTICVLVS I.

De Scaro.

TAB. XIII. **A**bsoluta Pelagiorum natura, Saxatiles sequuntur, inter hos primos *Scarus*, qui seu ^{3. 4.} *ἀπὸ τῆς σκαίρεν*, id est, tripudiando, seu quod Athenaeo ^{a Athen. l. 7.} placet, quod inclusus nassis, crebris caudae ictibus, qui *σκάριθμοι* seu *σκάρισμοι* vocantur, averfus, fores laxat, atque ita retrorsum erumpat; seu quod algam, aliasque herbas depascatur; *σκαίρεν* enim interdum est *νέμεσθαι*, ita dictus; *Meryrix* quoque seu *Ruminax*, ut Scaliger ^{b Aristot. H. A. l. 9. c. 50.} vertit, ab Aristotele ^b quod latis utriusque maxillae dentibus solus ruminet, *Cerebrum Jovis* Ennio vocatur. Sero olim Romanis et toti Italiae visus; ideo nec latinum piscis nomen habetur. Duo illius sunt genera, unum quod *ὀνίας*, bene ab Onisco distinguendus, quod asino concolor sit, dicitur. Al-

terum, cui *διόλε*, ex Nicandro Thiatyreno nomen imposuit ^{c Athen. l. 7.} Athenaeus. ^{d Oppian.} Oppianus modo *σικτον*, modo *βάλιον* cognominat. *Onias* squammis est magnis tenuibus, colore ex caeruleo nigrescente, ventre candido; Sargo, corporis forma ad rotundam accedente, aculeorum pinnaeque situ, et numero, similis, macula duntaxat nigra, in cauda, et quod lineis nigris in dorso ad ventrem careat, distinguitur. *Oculos* habet magnos, supercilia coloris Indici.

Dentes hominis modo planos imo solus latos, superioribus dentibus carere, quod Michael Ephesus prodidit, falsum, si *Meryx* est, et habere compertum. *Branchiae* ipsi binae, simplices alterae, alterae duplices, plura et majora in maxillis ossea tubercula.

Cauda